

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0624

Sabato 10.10.2009

## **LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL XII CENTENARIO DELLA TRASLAZIONE DELLE RELIQUIE DEL MARTIRE SAN TRIFONE A KOTOR (MONTENEGRO) (17 OTTOBRE 2009)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL XII CENTENARIO DELLA TRASLAZIONE DELLE RELIQUIE DEL MARTIRE SAN TRIFONE A KOTOR (MONTENEGRO) (17 OTTOBRE 2009)

In data 18 agosto 2009, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Franc Rodé, C.M., Prefetto della Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica, Suo Inviato Speciale alle solenni celebrazioni del XII centenario della traslazione delle reliquie del Martire San Trifone a Kotor (Montenegro), che avranno luogo il prossimo 17 ottobre.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Anton Belan, Vicario Generale di Kotor;
- Rev.do Mons. Srećko Majić, Parroco-Abate di Perast.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Franc Rodé:

### **• LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro

FRANCISCO S.R.E. Cardinali RODÉ, C.M.

Praefecto Congregationis pro Institutis vitae consecratae

et Societatibus vitae apostolicae

Mille et ducenti anni complentur a translatione reliquiarum sancti Triphonis martyris a Constantinopoli in

Catharensis urbem, cuius sanctus ille caelestis est Patronus. Laeto animo notitiam accepimus de plurimis pastoralibus inceptis quae, hac data occasione, dioecesi in Catharensi Episcopus cum presbyteris in bonum fidelium ad rem adduxerunt. Proximo mense Octobri, in conclusione videlicet XII centenariae memoriae istius translationis, Cathari sancta celebrabitur Eucharistia qua Episcopi, presbyteri, religiosi viri ac mulieres atque Christifideles laici grates Deo omnipotenti de sancti Triphonis opera sollemni modo reddent atque humiles adferent petitiones ut Iesus Christus, quem ille sanctus martyr strenue nuntiavit, totam Ecclesiam in opera evangelizationis prosequi et adiuvari dignetur.

Quam ob rem Venerabilis Frater Ilia Janjić, Episcopus Catharensis, humanissime a Nobis rogavit ut quendam insignem virum ad celebrationem eandem mitteremus qui ritibus praesideret atque verba spiritalis confirmationis omnibus adstantibus pronuntiaret. Iustae postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurramus, qui Congregationi pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae praees quique dignus Nobis omnino videris ad id munus fructuose explendum. Te igitur hisce Litteris **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** nominamus ad celebrationem XII centenariae memoriae translationis reliquiarum sancti Triphonis, quae die XVII proximi mensis Octobris Cathari sollemni modo agatur. De sancto illo loquens eiusque assidua navitate et pondere, omnes adstantes adhortaberis ut praecepta Domini servent, novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae et Evangelii demonstrent atque fidei zelo in vita cotidiana ferveant.

Rogamus Te etiam ut nomine Nostro omnibus ibi congregatis salutationem offeras, Episcopo praesertim Catharensi, ceterisque sacris Pastoribus, presbyteris, religiosis viris ac mulieribus, christifidelibus laicis, omnibusque Nostram cum sancti Triphonis cultoribus necessitudinem significabis. Verba Nostrae benevolentiae etiam ad locales civiles auctoritates nec non ad fratres orthodoxos et musulimos extendas volumus.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus velis transmittere.

Ex Arce Gandulfi, die III mensis Septembris, anno MMIX, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XVI

[01465-07.01] [Testo originale: Latino]

---